



Q. D. B. V.

P R O O E M I V M.



Cum in Scholis nostris publicis haud ita  
pridem in *Epistola SANCTI JACO-*  
*BII* philologico-critice pertractanda  
versaremur, digna nobis visa est  
Pericopa Cap. III, 1 — 12. ubi Apo-  
stolus de Linguae moderamine differit, quam curatiori  
ampliorique Disquisitioni subjiceremus; Habet in ea

A

Cri-

Criticus, habet etiam Philologus, quæ attentionem  
eius provocent, industriamque exerceant; nam, præ-  
ter Lectionis varietatem hinc inde obviam, Stilus, ut  
per totam Epistolam, ita & in hac illius particula,  
sic comparatus est, ut omnino ex Ebraismo æque  
ac Græcismo lucem desideret, &, judicio Cel. MI-  
CHAELIS in Dedic. Paraphr. Benson. maxime opus  
habeat interprete, qui filum orationis, intricatum  
sane, ac brevitate sententiarum abruptum, explicet;  
„non Ebraismis modo, inquit idem *Vir Doctiss.* c. l.  
pag. 14. 15. not. 10. plena oratio, ut omnium Scri-  
ptorum N. T. sed & ille Orientalis eloquentiæ succus  
atque color, quem in PAVLI aliorumque scriptis  
non intellexeris, omnia hic large tinxit; Rariora in-  
sunt connexionis vestigia, particulæ in primis, ut fieri  
in hebraica oratione afolet; crebra Similia, & quæ,  
(si verbis meis audacia detur) haud timeam audacio-  
ra dicere, qualia orientis populis sunt in deliciis,,  
(conf. Idem in der Einleit. Tom. II. pag. 1598.)  
Hoc postremum sane, si uspiam, in nostra certe pe-  
riocha observatur; Quod vero ad abruptum dicendi  
genus spectat, notum est, JO. CLERICIO in Notis  
ad

ad H A M M. pag. 501. ansam illud dedisse, temere  
 satis scribendi: passim in hac Epistola occurrere præ-  
 cepta varia, sine ordine ullo inter se congesta, ut &  
 in aliis apostolicis Epistolis, & viros sanctos ea pro-  
 fudisse, quæ viderint usui fore iis, ad quos scribebant,  
 nullo servato ordine, qui necessarius non sit in ejus-  
 modi scriptis & monitis; At vel sola B. nostri B E N-  
 GELII *Analysis* in Gnom. ex ipsis Textus visceribus  
 de promta Cris in hanc temerariam falsi convincere,  
 & docere lectorem attentum potest, quod J O. L O-  
 CK II de Paulo judicium: nullum sibi auctorem visum,  
 in argumentando ad curatiorem, & cuius omnia dicta mi-  
 nus a scopo, quem sibi propositum habuerit, aberrarent,  
 quam Paulum, suo modo etiam de JACOBO valeat,  
 salva cæteroquin differentia inter utrumque, quoad  
 noëmata & phrases; Neque etiam crebrior omissio  
 particularum connectentium pro sermonis vitio ha-  
 benda est, cum DIONYSIUS HALICARN. de struct.  
 orat. Cap. 22. pag. 176. de stilo loquens efficaci & nobili,  
 quem austерum vocat, inter virtutes potius referat,  
 quod esse is soleat ὀλιγοσυνδεσμός, parcus in connectendo,  
 γαρθός, minus articulatus, ἐν πολλοῖς ὑπεροπτικός της

πικολεθτιας, in multis negligentior sequelæ. Nos persuasum habemus tam suspicionem minus bene cohaerentis & confusæ tractationis, quam frequentes illas multorum interpretum parhermenias, a scopo Apostoli mirum quantum aberrantes, præcipue deberi isti illorum παροραματι, quod non observarunt, Apostolum, præmissa C. I, 1—18. exhortatione ad Patientiam, Cap. V. ulterius persequenda, v. 19. & 20. C. I. sequentis tractationis *Summam* exhibere in triplici isto monito: Ωστε, ἀδελφοί μν αγαπητοί, ἵνω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς ἐις τὸ ἀκύσαι, βραδὺς ἐις τὸ λαλῆσαι, βραδὺς ἐις ὁργήν ὁργὴ γὰρ ἄνδρος δικαιοσύνη Θεῖς εἰς κατεργάζεται. Hoc enim observato in promptu fuisset justa totius Epistolæ Analysis, & minus periculi, in ejus interpretatione a scopo & mente S. Scriptoris aberrandi, quam ipsam ob causam & nostra jam tractatio ab ista *Propositione trimembri* incipiet.